



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quando lis dicatur pendere, & quomodo intelligenda sit regula illa, lite pendente nihil esse innovandum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS XVI.

UT LITE PENDETTE NIHIL INNOVETUR.

§. I.

Quando lis dicatur pendere, & quomodo intelligenda sit regula illa, lite pendente nihil esse innovandum?

Is in ordine ad hujus tituli finem, ut nihil scilicet innovetur, per quod litis pendens qualitas, statusve causæ, in præjudicium alterutrius litigantis immutetur, pendere dicitur, postquam citatio à iudice competente (quàmvis hic per oppositam exceptionem ut suspectus v. g. elidi possit) emanavit, ac ad partem citatam pervenit, vel per hanc stetit, quòd minùs citatio ad eam perveniret) quia per quem stat, ne citatio ad se perveniat, habetur pro citato) dummodo in citatione ea sint expressa, per quæ plene reus citatus potest instrui, super quibus in iudicio conveniatur. *Clement. Cum lite 2. h. t.* Et hinc lis pendere dicitur à citatione usque ad sententiam definitivam, si ab hac non fuit appellatum, nec in rem iudicatam transit, & per sententiam interlocutoriam lis finita non censetur, nisi iudex pronuntiet, competentem se iudicem non esse.

§. II.

De pluribus casibus in specie, in quibus nihil est innovandum, lite pendente.

Ex *c. Memoria. 1. h. t.* patet, quòd rescriptum, pendente lite in præjudi-

cium possessoris litigantis impetratum, nullum sit, & subrepticium, nisi litis pendens mentio fuerit facta, cum de Principe aut Papa præsumi non possit, quòd rescriptum concedere voluerit in præjudicium legitimi possessoris, prout etiam sumitur ex *c. Dilectum 5. h. t.* & habetur etiam in *c. Causam 19. junctâ Glossâ. De testibus.* Et si lex juris communis de novo emanans non extenditur ad causam litis jam motæ, sive pendens, absq; speciali mentione, multò minùs absque expressa mentione speciale rescriptum ita extendendum est, tanquam odiosum, & à communi jure exorbitans, quamvis motu proprio concessum esset.

Secundò, Ex *c. Laudabilem 2. h. t.* patet, quòd conjux ab altero conjuge ad separationem thori accusatus, non debeat à iudice, pendente lite, possessione sui conjugis privari, donec crimen de eo legitime probatum sit, cum non debeat sine culpa jure suo privari.

Tertiò, ex *c. Ecclesia 3. & 4. h. t.* habetur, quòd res litigiosa, super qua inter actorem & reum lis pendet, extra casus à jure permittos, de quibus *Glossa in cit. c. 2. V. Litigiosi h. t.* pendente lite, alienari non debet, nec possit (ut ne durior conditio parti litiganti imponatur) & si alienata talis res fuerit, ac recuperari non possit, qui alienavit, rem aliam æquivalentem in ejus locum substituere debeat, quæ & ipsa, pendente lite alienari non possit.